



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

2. In quibus obligationibus adhiberi possit fidejussor.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

obligationem principalem præcedit; nam mandator dicitur, qui mandat alicui credi, vel cum aliquo contrahi, & id sua fide esse iubet, id est promittit se soluturum, si is, pro quo mandat, non solvat, l. 12. §. si post creditam D. Mandati, Fideiussor autem solum alio nomine obligatur, & plerumque sequitur obligationem principalem, quam tamen etiam præcedere potest, §. Fideiussor Instit. h. s.

4. Ab Expromissore verò differt, quod expromissor, etiam si pro alio obligetur per stipulationem, ita tamen obligatus sit, ut rem principalem liberet. Unde per expromissionem fit novatio, non etiam per fideiussionem, cum principalis maneat obligatus.

5. Denique à correis debendi differt quod correi suo nomine, & quidem principaliter, promittant, fideiussor pro alio tantum; & quidem accessorie: unde & adpromissor vocatur.

## §. II.

In quibus obligationibus adhiberi possit Fideiussor.

1. *Omni generi obligationum accedere fideiussor potest.*
2. *Etiam ex delicto descendendum, si ad pœnam agatur pecuniariam.*
3. *Fideiussor dotis quando datur.*

**A**dhiberi fideiussor potest in omni genere obligationum, quomocumque contractæ fuerint, §. 1. Instit. hoc tit. l. 1. 2. §. 1. l. 26. D. eod. Nec refert, an obligatio, cui accedit, sit civilis tantum, an naturalis tantum; an civilis & naturalis simul; an Prætoria, an principalis vel accessoria, cum & fideiussor fideiussoris dari possit: an item sit contracta, an contrahenda, l. Stipulatus 6. §. adhiberi D. eod. Num licet fideiussio hæc de facto præcedat obligationem principalem, tamen quoad vim suspenditur, donec principalis obligetur.

2. Non refert quoque, an ex contractu, vel quasi, ex delicto vel quasi, oriatur. Salvo, quod in criminalibus non aliter adhiberi possit, quam si agatur ad pœnam pecuniariam, quia pro criminis pœna corporali exsolvenda (cum nemo sit membrorum suorum dominus, l. Liber homo D. Ad L. Aquiliam) dari fideiussor non potest.
3. Similiter fideiussor dotis, vel pro consecra-

vatione dotis, aliter dari nequit, quam si maritus ad inopiam notorie vergat, c. Per vestra inf. De donat. inter virum & uxorem. vel, ut aliqui volunt nisi ultro à marito offeratur. Et ideo dicitur fideiussorem recte adhiberi in omni genere obligationum, quia non in singulis obligationibus adhiberi potest. Quando autem dicitur, posse adhiberi in omni obligatione, hoc ita intelligendum est, ut sit distributio pro generibus singulorum, non autem pro singulis generum, ut loquuntur Dialectici.

## §. III.

Quinam fideiubere possint.

1. *Fideiubere omnes possunt, qui obligari.*
2. *Etiam Clericus pro laico.*
3. *Non tamen Religiosus.*

**F**ideiubere possunt omnes, qui obligari nisi specialiter prohibeantur, ut famina, milites, servi, & similes. Ut autem laicus pro laico vel Clerico fideiubere potest, c. Constitutus h. s. ita vicissim Clericus pro Clerico vel laico, si videat illum de fideiussore laborare, c. 1. eod. quia mutua benevolentia est Clericos & laicos mutuas tradere operas.

2. Nec obstat cap. 1. h. s. ubi dicitur Clericus ab Ecclesia abijciendus, qui fideiussionibus inservit: quia id accipiendum est de Clerico, qui frequentibus fideiussionibus se immiscet, & consequenter se nimium involvit secularibus negotiis, can. Te quidem x. q. 1. c. Tu. Decretal. No Clerici vel Monachi sacul. neg. se immiscant.

3. Religiosus tamen fideiubere nequit; nisi impetrata facultate à suo Prælato, c. pe. h. s. quia velle aut nolle non habet, nisi auctoritate Superioris, cui voluntatem suam subiecit. Aded ut ne quidem sibi donatum aliquid accipere valeat, nisi Prælatus annuat, can. Non dicitur xii. q. 1.

## §. IV.

Effectus Fideiussionis.

1. *In plus obligari non potest, quam principalis debet.*
2. *In maiorem summam ad sumptum teneri pro concurrente.*
3. *Etiam in partem debiti directe adsumitur.*
4. *Accepti simpliciter, si plures sint, singuli in solidum tenentur.*